

## De Lycaone in lupum converso.

Concilium  
Deorum.

Officium  
boni ma-  
gistratus.

Ratio pu-  
niendorū  
delictorū.

*Deorum concilia apud Poetas docent, res humanas non ferri casu, sed gubernari certo Dei consilio. Itidem admonent, nihil temere, nihil inconsulto agendum in Republica. nam si Iupiter, cui attribuitur summa potestas omnium rerum, adhibet superos in consilium, quoties ei statuendum est aliquid gravius, quanto magis id fieri debet ab hominibus, cum humana sapientia, ad divinam collata, sit nulla? Hinc ergo discant, quicumque in summo sunt Magistratus, ne quid agant sine consilio, sed ut convocent concilium, audiant multorum sententias, placita temperent, & cogitent, ubi magni momenti negotium agitur, ne Iovi quidem suum satis esse consilium. Describitur autem egregie officium boni Principis, & ratio puniendorum delictorum hoc loco, ubi Iupiter in cœtu Deorum sic inquit:*

*Perdendum est mortale genus, &c.*

Cur Ro-  
manis con-  
sulibus præ-  
ferebantur  
fasces.

*Hic enim Principes ac Magistratus docentur, non aliter agendum cum civibus qui delinquent, atque cum membris languentibus. Semper quidem anteferendam lenitatem severitati: sed ut in difficilibus morbis curandis, sic in gravibus delictis puniendis, interdum acrioribus utendum remediis. Quod ut sapientissimus Poeta significet, fingit ipsum Iovem affirmare iureiurando, se in vitium persequi pœnas atrociores: eundemque ferre hanc sententiam in homines perditos, videlicet partem corporis, quæ remedium non admittit, esse recidendam. Hac etiam de causa olim Romanis consulibus præferebantur fasces, hoc est, virgæ securibus alligatæ: quibus idem significabatur, nempe corrigendam esse malitiam, quæ sanari possit, quæ verò emendari nequeat, abscondendam esse: virgæ enim corrigunt: secures autem abscindunt. Constantinus Imperator, cum aliquando consultaret de coercenda morum petulantia, fertur surpassisse Ovidianam hanc sententiam, atque ita exclamasse: Immedicabile vulnus ense recidendum est: significans, animadvertendum esse summa severitate in homi-*